

IV.

**Ein Transsumt Sigmund Bathori's mitgetheilt
und erläutert von — —**

Nos Sigismundus Bathory de Somlyo, Vajvoda Transsylvaniae et Siculorum Comes etc. etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit universis, quod Provi Circumspecti Urbanus Varga, Petrus Ach, et Stephanus Gál, jurati Cives oppidi Nostri Saxonialis Veultz, in Sede Megyes existentis in suis et reliquorum universorum Civium et Inhabitatorum ejusdem oppidi nominibus et personis Nostram personaliter venientes in praesentiam exhibuerunt Nobis et praesentaverunt binas quasdam Litteras, unas quidem Judicium, Comitum, et Juratorum Consulum, universorumque Civium et Seniorum Septem Sedium Saxonicalium Regni Nostri Transsylvaniae, Cibinii, Dominica Invocavit, Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Secundo, quasdam Litteras Provincialium Terrae Megyes transumptive in se continentes; Alteras vero Capituli Ecclesiae Transsylvaniae Die Dominica proxima post octavas festi b. Georgy Martyris, Anno Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, super metali Reambulatione Teritorii Oppidorum Saxonicalium Bozna et Veultz, in charta pergamena patenter confectas et emanatas, Sigillisque pendentibus roboratas, tenorum infrascriptorum, Supplicantes Nobis humillime ut Nos easdem Litteras, eo, quod nimia vetustate attritae jam fer-

me essent, transcribi et transsumi ac in transsumpto Litterarum Nostrarum eisdem suisque successoribus universis extradari ac emanari facere dignarenur. Quarum Litterarum, et primarum quidem tenor talis est:

Nos Judices, Comites et Jurati Consules, universi Cives et Seniores Septem Sedium Saxonicalium Transsylvaniae Memoriae commendantes significamus quibus expedit universis, Quod providus vir **Comes Michael**, filius Michaelis de Veultz, sua ac *universorum hospitum* de eadem in personis ad nostram accedens praesentiam, exhibuit nobis quasdam *Litteras privilegiales Provincialium Terrae Megjes* petens nos cum Instantia debita, ut ipsas de verbo ad verbum audientes examinantes, et si legitime concessisse dgnoscerentur, confirmantes, transscribi et in formam nostri **Privilegii** redigi facere dignaremur, quarum tenor est talis:

Nos universi *Provinciales terrae Megyes* memoriae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit, universis, Quod cum dissensionem ac discordiam inter duas Sedis nostrae villas, videlicet Velcz et Bazna, quae pro quadam sylva orta est, prout Rei causa nobis totaliter nota est et manifesta, sedare concorditer et sopire nequivissemus, Comitem Andream *Seniorem* de Prothia pro Decisione in Cibinium misimus, requirendo, quae pars dictarum villarum alteri cedere deberet atque vinci; et quatuor *Seniores* Sedis nostrae, videlicet **Comes Petrus de Virthalm** et **Comes Richannus de villa Richvini**, **Comes Stephanus** et **Joannes villicus de villa Hetzelini** in Cibinium fide sua mediante nuncia-

rent, et illos populos de Velz sua in causa iustificaverunt. Ipsi nempe **Provinciales** Cibinienses praesente dicto **Comite** Andrea de Prothia et **Comite** Demetrio de villa Richvini et **Comite** Roymaro de Nympz ipsam Causam discutiendam et discordiam praedictam sopiendam ad praedictos quatuor Seniores simulque ad *nos universos Provinciales*, eo, quod ipsius Rei Causa melius nobis nota erat, remiserunt. Nos igitur universi praedicti super territorium praedictorum duarum villarum progredientes et trium dierum spatio ibidem perdurantes, illis populis Velz partem praemissae sylvae dijudicavimus juxta conscientiam nostram de jure derivantem et usum et utilitatem ipsorum perpetualiter pertinentem, incipientem in monte, qui **Hochvarte** dicitur a sinistris a declivis fluminis versus territorium *villae Bonetis*, usque ad medium arundinis et ad arundinem liberam habere viam, ita, quod unus currus alteri cedere poterit in ipsam sylvam bene introeundi et exequundi libere concessimus et plenam dedimus autoritatem. Acta sunt haec praesentibus infrascriptis quatuor viris **Comite** Petro de Virthalm, **Comite** Richvino de villa Richini, **Comite** Stephano et Joanne antiquo *villico* de villa Hetzelini et Petro, **Judice Hungaricali Domini Regis** et aliis multis idoneis et discretis et duo **Comites** Andreas de Prothia cum omnibus **Senioribus** ejusdem villae, **Comites** de villa Hetzelini, **Comes** Petrus, filius **Comitis** Petri, **Comes** Petrus, filius **Comitis** Stephani cum omnibus **Senioribus** ejusdem villae, **Comes** Nicolaus cum omnibus **Senioribus** villae Valdhuttin, duo **Comites** Nicolai cum omnibus **Senioribus** de Magno Kopsch, **Comes** Henningus cum omnibus **Senioribus** de villa Tobiae, et universi **Seniores** de Virthalm, **Comes** Demetrius et duo **Comites** Joan-

nes, extuno *Judices Provinciales*, cum omnibus *Senioribus* de villa Richvini, *Comes Jacobus* cum omnibus *Senioribus* de villa Nynips, *Comes Joannes* cum omnibus *Senioribus* de Muschna, *Comes Hentzmannus* cum omnibus *Senioribus* de Viszdorff et omnes *Seniores* de villa Spurbasi, *Comes Joannes* et omnes *Seniores* de Buzd, *Comes Valterus* et omnes *Seniores* de villa Isopis, *Comes Salamon* et omnes *Seniores* de Bogacs, *Comes Stephanus* et omnes *Seniores* de Körtz, qui huic Ordinationi affuerunt, ut superius est praemissum et quicunque hujus ordinationis transgressor existiterit in sententia Capituli, et Judicibus in quinque Marchis obligabitur et est adstrictus. Ad maiorem hujus praemissae tenoris credulitatem pleniora firmatatem praesentes fieri fecimus sub appensione Sigilli nostri munimine Terrae Medwisch provinciali consignatas in robur perpetuae firmitatis. Data sunt haec pridie festi Purificationis Mariae Virginis gloriosae. Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo nono. — Nos enim petitionibus ejusdem Comitis annuentes, tenorem praedictarum Litterarum omni integritate debitoque processu pollentos (?) de verbo ad verbum transscribi fecimus, et pendentis Sigilli nostri munimine roborari. Datum Cibinij Dominica Invocavit me etc. etc. Anno Domini Millesimo Quadragesimo secundo.

Alterarum vero Continentia sic se habet:

Capitulum Ecclesiae Transsylvaniae omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris, praesens scriptum inspecturis, Salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, Quod nos Litteras Magnifici

viri, Domini Emerici, Vajvoda Transsylvaniae et Comitis de Zonuk per ipsum nobis directas receperimus in haec verba: Discretis viris et honestis honor: Capitulo Ecclesiae Transsylvaniae, amicis suis honorandis, Emericus Vajvoda Transsylvaniae et Comes de Zonuk amicitiam paratam debito cum honore. Dicitur Nobis in personis universorum *hospitum regalium* de Bozna et de Veultz: Quod ipsi novarum metarum erectionibus praetaxatarum *Possessionum regalium*, imo ab aliarum Possessionum distinctionibus plurimum indigerent. Super quo vestram petimus amicitiam praesentibus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum quo praesente Stephanus de Sylee vel Antonius de Balastelke, seu Petrus filius Gregorii de eadem, aliis absentibus, homo noster ad facies memoratarum *Possessionum Regalium* Bazna et Veultz vocatarum accendentibus vicinis et commetaneis earundem legitime inibi convocatis et praesentibus reambulet easdem per suas veras metas et antiquas, et ubi necesse fuerit novas metas juxta veteres erigendas, reambulatasque et ab aliorum possessionibus metalibus Distinctionibus separatas et distinctas relinquat eisdem *populis regalibus eo jure*, quo ipsis *dignoscitur*, pertinere *Jurium regalium perpetuo possidendum*, si per quempiam non fuerit contradictum; Contradictores vero si qui fuerint, citet eosdem contra ipsos populos regales in nostram praesentiam ad terminum competentem, rationem contradictionis ipsorum reddituros. Et posthac seriem omnem praemissorum, prout fuerit opportunum, nobis in Vestris Litteris rescribatis. Datum in Torda, feria quinta proxima post Dominicam Misericordias Domini. Anno ejusdem Millesimo trecentesimo septuagesimo se-

cundo. Nos igitur justis et Juri consonis petitio-
nibus ejusdem Domini Vajvoda ac Justitiae an-
nuentibus (?) cum praedicto Petro, filio Gregory,
homine suo, nostrum hominem, videlicet Domi-
num Demetrium, Ecclesiae nostrae praedictae de
choro Presbyterum, ad exsequenda praemissa du-
ximus pro testimonio transmittendum; qui demum
ad nos reversi nobis concorditer retulerunt, quod
ipsi die dominica proxima post festum beati
Georgy Martyris nunc praeteritum ad facies pree-
dictarum *villarum regalium*, Baszna et Veultz
vocatarum, vicinorum et commetaneorum earun-
dem universorum legitimis convocationibus factis et
praesentibus pariter accedentibus, reambulassent
easdem per suas veras metas et antiquas, novas
juxta veteres in locis necessariis ordine infra-
scripto erigentes, reambulatasque et ab aliorum
Possessionibus vicinariis metalibus distinctionibus
separatas, reliquissent praedictis populis regali-
bus ipsarum duarum villarum, Boszna et Veultz
vocatarum, *eo jure*, quo ipsis pertinuissent et
debuissent pertinere, sub nomine *regio perpetuo*
per eosdem possidendas, tenendas et habendas,
nulla penitus contradictione ipsis in hac parte ap-
parente. Metae autem, quibus eaedem duae *villae*
regales, Bazna et Veultz vocatae, ab aliis vici-
nariis Possessionibus et villis regalibus exstite-
runt separatae et distinctae, ut iidem homines ip-
sius Domini Vajvoda et noster nobis expresse-
runt, hoc ordine protenduntur, quod prima meta
inciperet supra montem Kopus vocatum, sylvo-
sum, juxta quasdam metas *villae praepositalis E-*
kemezew vocatae, penes quas unam novam me-
tam, arborem Ilicis in medio persistentem, a pla-
ga meridionali erexissent, abinde in descensu ip-
sius montis Kopus penes viam, de eodem monte

descendentem, a parte villa Regalis **Boiun** vocatae juxta quandam metam antiquam iterum duas metas novas ex utraque parte ipsius via elevassent, exinde super ipsam viam descenderent ad pratum **Egheresrethe** vocatum, veniretque juxta meatum rivuli **Egerespatak** vocati, ubi ipsa via relinquere dictam sylvam in monte Kopus existentem, et abhinc tendente, perveniret ad quandam metam antiquam super eandem viam a parte dextra existentem, penes quam aliam metam novam erexissent, et inde saliendo ipsum **Egerespatak** transiret ad quasdam metas duas antiquas, juxta quas similiter unam metam novam elevassent, ibique vicinaretur cursus metarum earundem duarum villarum praedictae villae **Boiun** vocatae, dehinc in quadam valle tenderet ad pratum **Egheresrete** vocatum, cuius recta medietas ad usum ejusdem villae Bojun et alia medietas ejusdem ipsi villa Bozna pertinuissent, et deberent pertinere, et abinde egrediens ipsum Potok infra decurrens in suo meatu usque quandam pontem, penes piscinam ejusdem villae Bajun persistentem, teneret metas ipsarum duarum villarum **Regalium** Bajon et Bozna vocatarum, easdem ab invicem separantes, ibique saliendo ipsum Egrespotok superius dictum pontem veniret et aliud potok de eadem villa Bozna egrediens, exinde pergens iterum ad aliud potok Serlengh vocatum caderet, de quo ascenderet sursum ad quandam monticulum rotundum, ubi praedictae villae Regales Bojun, Bozna et Veultz vocatae ab invicem separarentur et metae ipsarum villarum regalium terminaren'ur, prout haec omnia praefatus homo ipsius Domini Emerici Vajvodae Transsylvani et dictum nostrum Testimonium personaliter astantibus nobis consequenter retulerunt. Datum die dominica proxima post

octavas festi b. Georgy Martyris Anno Domini supradicto. Discretis viris, Praepositura dictae Ecclesiae nostrae vacante, Andrea Cantore, Petro Custode, et Petro Archidiacono de Clus, Decano ipsius Ecclesiae nostrae existentibus.

Nos igitur praemissa supplicatione Nobis modo, quo supra, porrecta, faventer exaudita et pro aequitate admissa, praescriptas utrasque Litteras nobis exhibitas praesentibus Litteris nostris de verbo ad verbum, prout propter nimiam vetustatis caliginem perlegi potuerunt, inseri et inscribi facientes, memoratis *civibus et universis inhabitatoribus* praedicti *oppidi nostri* Veultz modernis scilicet et futuris, Juriumque eorundem futura pro cautela necessariorum, sub Sigillo Nostro pendente et authentico extradandas duximus et concedendas communi justitia et aequitate requirente. Datum in oppido Nostro Enyed die prima mensis Maji Anno Domini Millesimo Quingentesimo octogesimo octavo.

**Sigismundus Bathory
de Somlyo.**

**Wolfgang Kovachoczy ,
Cancellar.**

ZOBODAT -

www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv des Vereins für Siebenbürgische Landeskunde](#)

Jahr/Year: 1843

Band/Volume: [01](#)

Autor(en)/Author(s): Bathori Sigmund

Artikel/Article: [Ein Transsumt Sigmund Bathori's. 109-116](#)

